



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 92. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi. v. 62.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

ribit; & David, virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Quomodo non peribitis vos, ô Iudæi, qui in loco iudicij ipsam contextitis iniquitatem! Quomodo non abominabitur vos Dominus, ô principes latronum!

**D**omine Iesu Amantissime verba mendacii longe fac à me ne peream, sed da gratiam pietissime Iesu, ut nunquam verba proximi sinistrè interpreter, aut eum velim capere in verbis, siue directè siue indirectè, neue contra honorem tuum, aut proximi ædificationem faciendo consultandoue fiam abominabilis tibi.

§. 92. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi. v. 62.

Bene quidem surgeret princeps Sacerdotum Iudaicorum, coram summo Sacerdote Christianorum, & Aaronicus coram eo qui est secundum ordinem Melchisedech; & iudicandus coram iudice suo futuro in die iudicij, in cuius conspectu tremunt potestates, cœli cœlorum & abyssi: sed alia illa causa surgendi fuit & quidem duplex, una ab ipsomet intentata, scilicet Ira præceps & impatiens non inueniens calumniæ locum; hæc malum hominem excutit de folio. Indignabatur enim Caiphas, quod Christus obiecta videretur contemnere, ipsoque silentio suo satis refutare; tanquam indigna uti reuera erant, responso; indignabatur quod non haberet locum ex occasione responsionis accusandi Christum. Indignabatur denique quod tam friuola & parum apta afferrentur testimonia ad sui animi propositum, Altera surgendi causa non intenta à Caipha erat, quod Deus permitteret ut ipse, jam præseente Sacerdote & Pontifice vero animarum, figuratiuum Sacerdotium, & typicum Pontificatum, eiusque auctoritatem infirmari, conuelli & destrui indicaret, & nos inde instrueremur.

**D**omine Iesu si quando sum in simili occasione, qua inimici mei verba mea sinistrè interpretentur aut malas de me pangant confabulationes, doce me voluntatem tuam, & doctrinam sanam, quomodo me habere debeam: aut si quando Iudex futurus sum, nunquam surgam in reum præceps iræ, sed semper cum patientia & modestia omnia audiam & respondeam pronuntiando iustum iudicium.

§. 93. Et ait: Nil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur.

Non solum surgit è folio præ ira Caiphas, sed Christum vult cogere ad respondendum testibus, ut vel ex ipsa sua responsione eum capere possit, vel negando testimonium vel affirmando, unde dicit Nil respondes. At Christus,